



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 55. Appellatio Universitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

commoda constanter tuebatur. Rex Lusitaniæ, ceterique Principes, qui hucusque Pontificum Romæ residentium obedientiæ addicti erant, neutri ex propositis tollendi schismatis viis accesserunt, sed immota fide Bonifacium tanquam verum Papam coluerunt, ab eo deficere, cui semel obedientiam devovissent, indecorum esse arbitrati.

§. LV.

Appellatio Universitatis.

Cum Universitas ardentiori studio Hist. Univ. Paris tom. 4. p. 821. accensa viam unionis urgeret, Spicil. tom. 6. p. 143. Benedictus Papa contra illam verbis & factis debachatus est, ut ergo comminati anathematis vim præverteret, ab ejus sententia ad futurum Pontificem ab universa Ecclesia acceptandum provocavit. Benedictus adversus hanc appellationem, qua plenitudini suæ potestatis præjudicatum credebat, Bullam edidit; cumque in ea a Judicio Papæ appellare licitum non esse adstrueretur, Academia

demia proprio suo honori consultura, secundam interposuit appellationem, qua primam utpote a Benedicto tanquam libellum famosum rejectam vindicaret. Pontifex altera hac provocatione comperta, novam condidit Bullam, qua omnes vel a se, vel a suis successoribus provocaturos excommunicationis sententia percellit. Nihilofecius Academia suam causam prosequens, in Mathurinorum cœnobio congressum instituit, atque cessionem optimam esse unionis viam denuo declaravit. Septendecim quoque Cardinales scripta ad Carolum VI. Epistola idem medium tanquam ceteris utilissimum approbaverunt.

§. LVI.

Cardinalis Pampilonensis in Gallis non receptus.

Tandem Universitas obfirmatum Benedicti animum intelligens, Regi subtractionem ab ejus obedientia proposuit. Quare percepta Pontifex in extremas angustias conjectus,